

tamquam caput fuisse huius regionis ait Strabo 5, 3, 10 p. 237 (cf. p. 233, 238): Φρεγέλλαι... πόλις δέ ποτε γεγονοῦα ἀξιόλογος καὶ τὰς πολλὰς τῶν ἄρτι λεχθεισῶν περιστικίδας πρότερον ἐσχηκοῦα. Quantopere tum floruerint, cum inde intellegitur, quod a. 577 Samnites Paelignique apud Romanos questi sunt milia quattuor familiarum a se transisse Fregellas, ut meliore iure et commodiore loco essent (Liv. 44, 8), tum maxime inde quod defectio Italicorum a. u. c. 629 exorsa est a Fregellanis (cf. Cicero Brut. 46, 170: *apud maiores nostros video disertissimum habitum ex Latio L. Papirium Fregellanum Ti. Gracchi P. f. fere aetate; eius etiam oratio est pro Fregellanis coloniisque Latinis habita in senatu*). Sed hos a reliquo Latio tum destitutos praetor Q. Opimius prodizione (Cicero de fin. 5, 22, 62) cepit (Livius ep. 60; Obseq. 30; Plutarchus C. Gracch. 3; Velleius 2, 6; Valerius Max. 2, 8, 4; Asconius in Pison. 95 p. 17; ad Herenn. 4, 9, 13. c. 27, 37; Cicero de invent. 1, 8, 14, de l. agr. 2, 33, 90; Strabo 1. e.) et oppidum diruit (Liv. 1. c.; Obseq. 1. c.; Strabo 1. c.: *χατεσχάρη*; ad Herenn. 4, 45, 22: *o persfidiosae Fregellae, quam facile scelere vestro contabuistis, ut, cuius nitor urbis Italiam nuper inlustravit, eius nunc vix fundamentorum reliquia remaneant*). Res publica tum sublata est neque postea restituta, meroque errore Plinius 3, 5, 64 Fregellanis in indice oppidorum regionis primae locum dedit. Nam nec sine causa Velleius in indice coloniarum Fregellas praetermisit, et diserte Strabo ait: νῦν μὲν χώμη, et in itinerariis supra p. 60 non Fregellae nominantur, sed Fregellanum. Nec quisquam postea, quamquam Cicero ad fam. 13, 76 possessionis meminit in agro Fregellano et Columella 3, 2, 27 vitis nigrae Fregellanae, rei publicae eius nominis ne verbo quidem meminit. Speciem sane urbis fere ut Capua ita Fregellae quoque retinuerunt, cum post ea quae supra relata sunt de civitatibus circa Fregellas Strabo ita pergit: αἱ νῦν εἰς αὐτὴν συνέρχονται ἀγοράς τε ποιουμέναι καὶ ἵποποιας τινάς, confirmetque rem Obsequens c. 52 ad a. 660: *Fregellis aedes Neptuni nocte patefacta*. Sed ipsi tituli quod supra posuimus extra dubium ponunt; Ceprani enim inventi et numero pauci sunt et unus ibi repertus magistratus n. 5587 diserte Fabrateriae nomen adscribit.

Sed quodammodo Fregellae statim restitutae sunt nomine tamen mutato et loco quoque diverso. Nam ita omnino accipendum est quod teste Velleio 1, 15 Cassio Longino et Sextio Calvinus cos., id est anno u. c. 630, *Fabrateria deducta est*. Duo eius nominis oppida unus Plinius distinguit 3, 5, 64: *Fabraterni veteres, Fabraterni novi*; novos esse post Fregellas excisas constitutos et ex ipso nomine intellegitur et inde efficitur, quod Fabraternorum veterum nomen enuntiant tituli effossi loco diverso prope Ceccanum, contra in titulis infra propositis eruderatis non longe a Fregellis quae fuerunt nominantur *Fabraterni novani* n. 5578 et 5585, practerea *Fabraterni* sine cognomine n. 5584. 5587. Nomen quamquam hodie servat Salvatera vicus, non eo ipso loco oppidum antiquo tempore fuit; nullas enim ibi antiquae aetatis reliquias superesse ipse testis sum qui locum adii. Contra sub aspro colle, ubi Salvatera est, in campo amoeno dicto *la Civita*, qui est in dextra Liris fluvii ad miliarium LXXIV viae

hodiernae a S. Giovanni pergentis ad Isolettam, ipsa moenia supersunt oppidi antiqui, quod Cayro aliique non recte pro Fregellis habuerunt, cum aperte Fabrateria nova fuerit. Latina via cum Fabrateriam quoque, scilicet novam (nam vetus longe ab ea via remota est) pariter atque Fregellas antiquas attigerit testibus itinerariis et Strabone II. cc., dirutis Fregellis trames eius ita mutatus videtur esse, ut ponte Fregellano sublato Liris transiretur ad Fabrateriam. Ibi pontium aetatis Romanae duorum vestigia cernuntur, altera proxima ei qui nunc est Isolettano, altera paullo inferius sita. Trans eum pontem ad sinistram Liris in agro hodie Arcensi (iam enim fluvius terminum facit inter territoria oppidorum S. Giovanni et Arce) in regione quae dicitur *la Limata dello Spedale* cum nuper lapidum extrahendorum causa effossiones instituerentur, tituli scripti ii prodierunt qui hodie Capuae sunt in museo Campano, fuitque ibi sine dubio via sepulcralis Fabraternorum maxime celebris et splendida. — Ad oppidi conditionem quod attinet, civium coloniam hanc deductam esse conicere pronum est, cum saeculo septimo Latinae in Italia iam nullae deductae sint. Sed cum Plinius neutram Fabrateriam inter colonias recenseat et *municipium Fabraternorum* legatur n. 5584, Fabraterni ipsum ius accepisse videntur Fregellanorum, in quorum locum quodammodo eos vidimus successisse. Magistratus sunt *censores* n. 5590, postea *duoviri quinquennalis potestatis* n. 5587 sive *duoviri quinquennales* n. 5581. 5584; *duoviri nude* (n. 5580. 5581. 5582. 5583. 5584. 5586. 5587. 5588) nusquam addita determinatione; *praefecti duovirali potestate* n. 5584; item *duoviri aedilicia potestate* (n. 5587. 5590?) sive *aediles* n. 5589 et fortasse n. 5655, ubi quod legitur . . . *aed. F. n. iter. l. p. ex parte obsecrum est*. *Quaestor* non reperitur nisi in titulo n. 5583 fortasse Aquinati magis quam Fabraterno. Decuriones quamquam interdum modestiore vocabulo contenti sunt (n. 5578. 5585), dicuntur item *senatus* (n. 5574) et *conscripti* (n. 5590). Sacerdotes inveniuntur *pontifices* (n. 5582), *augures* (n. 5587 adscripto oppidi nomine, item n. 5581. 5583?), *seviri Augustales* (n. 5593) sive *Augustales* (n. 5591. 5592). — Ceterum oppidum quamquam satis conspicuum rarissime memoratur. Fabrateriam hanc intellegi apud Ciceronem pro Cluent. 68, 197 et ad fam. 9, 24, 1 ut et apud Iuvenalem 3, 224 probabile est, quod componitur cum vicino Aquino. Caput indicis coloniarum p. 234: *Fabrateria muro ducta: iter populo non debetur: ager eius iure ordinario est divisus ad utram pertineat, perinde est*. — In tribu Tromentina Fabraternos suffragium tulisse probabile est propter titulos n. 5582. 5587. 5606.

Composui cum titulis repertis ad ipsas ruinas tam Fabrateriae quam Fregellarum item qui prodierunt a dextra Liris in vico Pico Farnese, a sinistra ad S. Viti et Isolettae.

Inter auctores hic quoque primarius **CAYRO** est, cuius de Fregellis librum supra p. 534 commemoravimus. Inutilis contra est quem scripsit Antonius **VITAGLIANO** Cepranensis *il Ceprano rievivato* (Ceprani 1653. 4. pp. 182).

**5574** [= 4455] basis rep. in ruinis fori Fregellani [rectius Fabraterni], deinde in villa Cayri suburbana.

CONCORDIAE  
EX · S · C

Recognovi post Brunnium. Cayro Fregelli p. 66. Idem a. 1806 a ministro petuit, ut ibi ubi haec inscriptio reperta esset effossiones instituerentur (act. tabul. publ. Neap. reg. VII p. 429).

**5575** [= 4458] epistylia reliquia. Fregellis [S. Giovanni in Carico] in aedibus Carrara **CAYRO**; S. Giovanni in Carico apud sacerdotem quendam **EGO**.

|VS · CN| · F · C · OPI| |VS · C · F · ~~A~~ede*M* · IOV · IVN| · min. f. c

Recognovi. Cayro Fregelli p. 71 significans alia legisse se, alia supplevisse sic exhibet: *M<sup>(agistri)</sup>* IOV<sub>(is)</sub> · C · IVNIVS · C · F · GN · IVNIVS · GN · F · C · OP · FAC; scilicet sic ordinavit fragmenta: *M · IOV* | IVN | |VS · C · F | |VS · CN | |F · C · OPI| nec vidit duo sibi prima cohaerere. Haec in re praesenti coniuxi, ea autem quae supra sunt primum secundumque ex coniectura.

**5576** parva basis quadrata, rep. *alla Civita* intra moenia sui ruderis detti di S. Pietro PICC. Inveni ego Ceprani extra portam Romanam in domo quadam marchionis Ferrari.

IMP · CAESAR · C · VALERIUS · DIOCLETIANVS;  
PIVS · FELIX · INVICTVS · AVG  
IOVI · CONSERVATORI

Recognovi. I. B. Piccirilli *Poliorama pittoresco* a. XII (1 Ian. 1848) n. 22 (repetivit inde Henzen Bull. dell' inst. 1855 p. XXVI; syll. n. 5619 a).